

impignoratorum admoniti, pecuniam oblatam levare recusant, taliterque impignorantes et ipsorum Successores in magnas expensas (quas in Comitatus in extractionem expeditionum et praestolationem eventus Causarum eiusmodi erogare coguntur) ipsum meritum et summam impignoratorum bonorum excedentem, in summum praeiudicium et damnum eorundem adducere solerent: Quocirca ad tollendas abbreviandasque tot et tantas in quibuslibet Sedibus Judiciariis expensas, et ob rariorem celebrationem Sedium Judiciariarum, concursusque in iisdem gravioris momenti causarum, decernitur, ut, omissis in Sedem Judiciariam Comitatus huius Regni quibuslibet admonitionibus et citationibus, Vice-Comes et Iudices Nobilium in partibus, Vice-Comites quidem ad quinquaginta, Iudices Nobilium vero ad viginti quinque florenos Hungaricales, prout huiusmodi leves impignorationes (salva nichilominus parti succumbenti extra Dominium ad Sedes Comitatus huius Regni Croatiae et Slavoniae appellatione permanente) iudicare possint ac valeant, etiam ad ammissionem pecuniae, vigore solummodo praesentis Statuti.

Articulus Decimus Nonus. 1676.

Articulus Anni 1674, de non inducendo externo Iudice in hoc Regnum, per Status et Ordines ita declaratus est: Quod si quis Dominorum Regnicolarum Personalem praesentiae Regiae, aut Magistrum Prothonotarium, in hoc Regnum inducere praesumpserit, executionemque alteruter eorum peregerit, talem executionem Personalis quidem praesentiae Comes Banus, Prothonotarii vero extranei Magister Prothonotarius huius Regni, ipso facto reexequi possit et valeat.

Articulus Vigesimus. 1681.

Et quia unicus in hoc Regno Slavoniae et Croatiae Magister Prothonotarius Regni haberetur, ex alio autem Regno adducere Prothonotarios Privilegia Regni vetant; ne itaque Iustitia communis aliquam remoram patiat, additur Articulus Septimo supraspecificato: ut in causis omnibus, non tantum in quam etiam extra Tabulam Banalem sive octavas, pro parte eiusdem Magistri Prothonotarii Regni, et e contra etiam adversus eundem, pro parte aliorum, ea prorsus auctoritate, qua Prothonotarius discutiendi aliorum causas habet, procedere et determinare Dominus Vice-Banus Regni possit. Interessato vero etiam ipso Domino Vice-Bano, Dominus Comes Banus, pro tempore constitutus, alium Iudicem non interessatum, tam in Tabula sua, quam extra eam, habeat auctoritatis facultatem substituendi, qui similiter omni auctoritate Prothonotariali ea in parte poleat.

Nos itaque huiusmodi demissa memoratorum Fidelium nostrorum Statuum et Ordinum supplicatione benigne exaudita, clementer et admissa, praespecificatos Articulus, nobis praeiuncto modo praesentatos, hisce Litteris de verbo ad verbum inseri et incribi fecimus, ipsosque ac omnia in illis contenta, ratos, gratos et accepta habentes, eisdem nostrum Regium Consensum benevolum, pariter et assensum praebuimus, illosque, et quaevis in eisdem expressa, auctoritate Nostra Regia acceptavimus, approbavimus, ratificavimusque et confirmavimus, clementissime nos offerentes, quod praemissa omnia tam nos ipsi observabimus, quam per alios universos fideles dictorum Croatiae et Slavoniae Regnorum Nostrorum